

## FRATRES ILLITTERATI CONVERSI. 495

lacum. Quod cellerario ei concedente, in crastinum matutinis laudibus celebratis, quando alii fratres in dormitorio se ad quiescendum collocabant, iter suum arripiens, quantum silva hinc usque ad lacum protenditur, in horrore noctis ipse solus peragravit, & sicut cellerario promiserat, quod de lacu adquirere potuit, tempestivè ante horam refectiois attulit.

SECVLUM  
XII.

Inde vero, quod matutinis laudibus interfuerit, nondum certo de litteratorum fratrum numero fuisse censerì potest, e quibus tamen seu interioribus fratribus erat Bernerus de Basilea sacerdos, quem postea huiusmodi quoque exterioribus curis occupatum dilaudat: *Hic, ait, tam in hoc loco, quam etiam in aliis nostris locis sibi & aliis utiliter laboravit, & maxime apud cellam nostram Beraw, ubi in constructione novi monasterii pondus diei & astus sepe portavit. Cellerarii quoque officium per aliquos annos in hoc loco tenuit, fratribusque suis charitatis studium impendere studuit. Et quamvis exterioribus curis frequenter esset occupatus, divinis tamen officiis tam in celebratione altaris, quam etiam in assiduitate in choro psallendi cum ceteris fuit intentus. Sacristæ etiam officium non multo ante obitum suum tempore habuit.* Sed potuerunt promiscua hæc officia litteratis fratribus esse communia, etiam postquam ipsa litteratorum & illitteratorum fratrum distinctio, laborum quoque immutatio facta est. Hanc S. Bernardus Cluniacensibus obiecit, quam obiectionem diluit Petrus venerabilis abbas Cluniacensis, rem haud diffitendo, sed se suosque verbis Christi defendendo, qui spiritualia exercitia corporalibus in Maria prætulit. Ergo, subdit, *si orando, legendo, psallendo, iniuncta religiose implendo, vel alia qualibet eiusmodi bona agendo animus occupatur, regula, ut diximus, perfecte servatur.*

Bibl. Cluniac.  
Lib. I. ep. 28.

Erant tamen etiam Cisterciensibus fratres conversi, de quibus S. Hildgardis in epistola ad *Griseos monachos* a Mabillonio citata, ubi inter alia monita illos perstringit, quos ipsi conversos vocant, quorum plurimi se ad Deum moribus suis non convertunt. Hos corrigendos & corripiendos monet: *quia plurima pars eorum nec in die nec in nocte operatur. Exordium cœnobii Cisterciensis* in bibliotheca Cist. eorum institutum a primordio ordinis ac monasterii Cisterciensis his nobis describit verbis, quæ eadem in Sigeberti Gemblacensis chronico ad an. 1107. leguntur: *Tuncque definirunt, se conversos barbatos licentia episcopi sui suscepturos: eosque in vita sua & in morte, excepto monachatu, ut semetipsos tractaturos: & homines etiam mercenarios, quia sine adminiculo istorum non intelligebant se plenarie die sive noctu præcepta regulæ posse servare.* Fratres conversos igitur perinde ac nos suis accensebant, qui in necrologiis passim occurrunt, veluti etiam in catalogis fratrum conscriptorum singillatim notati.

Annal. T.VI.  
pag. 528.

T. I. pag. 7.

Pistov. Script.  
ver. Germ. T.  
I. pag. 860.

Fra-